



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

Capvt III. Luxuria quantum sit malum, & quantorum malorum causa,  
puellæ & viduæ historia docetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

## CAPVT III.

LVXVRIA QVANTVM SIT  
MALVM, ET QVANTORVM MA-  
LORVM CAVSSA, PVELLÆ, ET  
VIDVÆ HISTORIA, DO-  
CETVR.



## PARS PRIMA.

**N**OBILIORES, in Gallia, fæminæ quæ-  
dam; cùm in publicum etiam pro-  
cedunt, nigram fronti, vel genis  
plagulam agglutinant, quam quidam Ger-  
manus nunc de fronte in maxillas, aliàs de  
maxil-

I.  
VIRTU-  
TES VI-  
TIORVM  
DEFORMI-  
TATE SPE-  
CTATA;

ILLVSTRI- maxillis in frontem magnæ heroidis migrasse  
 ORES AP- conspicatus, interrogavit, quid illa, vel vul-  
 PARERE, neris, vel vlcis tam vagi plagula tegeter?  
 aut cur hodie vlcus velatum aliam, quàm he-  
 ri, stationem haberet? Responsum est, sple-  
 nijs quidem veterum litteris inscriptas fron-  
 tes fuisse vestitas, alium autem esse morem  
 harum feminarum; quæ plagulam illam, non  
 tanquam cataplasma vultui affigant; sed vt  
 atro eius colore niuæ cutis commendent ve-  
 nustatem. Hinc à gynæceo *muscam pulchri-  
 tudinis* appellari. Quod etiam multæ è nostra-  
 tibus fæminis faciunt, dum rallam taniam  
 capiti imponunt, vel collo circumplicant, vt  
 (sicut in scacchorum ludo *rex ater in albo, &  
 albus in atro*) magis, de ipsa contrarietate,  
 in oculos incurrant. Hoc agunt fæminæ eti-  
 am illæ, quæ ita nigræ sunt, vt, etsi è camino  
 prospicerent, tamen in Mauritania natæ vi-  
 derentur. Utuntur, cum fructu & laude, si-  
 mili artificio SS. litteræ, SS. PP. & morales  
 Philosophi, quin & omnes scholæ Theolo-  
 gorum; dum enim volunt virtutes docere,  
 vitia illis opposita proponunt consideranda.  
 Quin & ipsorum hominum virtute prædito-  
 rum dignitas clarior euadit, si iuxta ponatur  
 indignitas flagitiosorum. Quo pacto & Spar-  
 tani

tani olim, vt sobrietatem suaderent, ebrij hominis absurditates in theatrum produxerunt. Tantò igitur augustissimæ Dei Matris, D. D. Theclæ, Cæciliæ, Catharinæ, Barbaræ, Ursulæ ac sociarum, aliarumque Dei sponsarum illibata virginitas; & iuuenum, puellarumque nunc purissimè viuentium castitas amabilior, honoréque & gloria ac aureolâ dignior esse censebitur, quantò, in vno, alteròue exemplo, luxuria (quæ teste S. Thoma, est *appetitus inordinatus venereorum*) maiorem infamiam, pœnamque commereri ostenderur. Apposite enim hæc cum auaritia oppugnatur, quia vel authore Ethnico, hæc *duæ res sunt, quæ maximè homines ad maleficium impellunt, luxuries & auaritia*: sæpe etiam se trahunt opes & voluptates, estque magni vitij & diuitijs affinitas. Quod & Poëta indicat illis versibus:

*Admonui quoties, auro ne pollue formam,  
Sæpe solent auro multa subesse mala.*

Quanquam verò opulenti maiorem habeant ad luxuriandum occasionem, tamen nec pauperes sunt ab hoc vitio immunes, inter quos ipsos etiam plures Adonides, quàm Hippolyti reperiuntur. Vtrisque ergo exemplum narro.

S. Thom.  
2. 2. q. 153.  
a. 1.

Author  
ad Heren.  
l. 2.

Tibul. l. 1.  
cl. 9.

II.  
**IUVENIS**  
**OCVLO-**  
**RVM LAS-**  
**CIVIA, ET**  
**VICINIA**  
**VIRGINIS**  
**SEDUCTVS**

Tempore Honorij III. Pontificis, Anno Christi 1222. scripsit egregiè doctus, & insignitè pius ordinis Cisterciensis religiosus, in monasterio Heisterbachensi, Cæsarius dictus illustrium miraculorum & historiarum libros XII. in quorum lib. 2. cap. 25. testatur, Wormatiæ, Iudæum habitasse, cui filia erat, eximiè formosa. Sed quia forma non solum fragile, verum etiam periculosum esse bonum solet, etiam hîc naufragij causa fuit. In vicina, immo contigua domo, degebat iuuenis clericus, humanis, quàm diuinis rebus magis addictus, Abronis vitam degens; cuius præcipua occupatio erat, in lecto, & fenestra iacere, luxuria diffluere, delicatè ac molliter viuere, Oscè, non Latinè loqui, arbitrari formas. Neque enim, vt Iob olim, *pepigerat fœdus cum oculis suis*. Neque illud menti infixerat: *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius*. Inter primas igitur curas illi erat, spectare & spectari. Verè Plato, *amoris principium* scripsit, *esse oculos*: & rectè Musæus oculos *quasdam velut cordis ansas* esse aiebat, *quibus caperetur*. Hinc & alius dixit Poëta: *Si nescis, oculi sunt in amore ducti*. Multi bibendo, plures videndo hauriunt venenum.

Iob. 31. 1.

Eccli. 9. 5.

Plato dialog. de Amore.  
 Musæus in Leandro.

nenum. Quod & huic iuueni contigit. Emif-  
fitijs oculis virus traxit; vt dicere posset :

*Vt vidi? ut perij! ut me malus abstulit  
error?*

Virgil.  
Ecl. 8.

& illud: *Oculus meus depraedatus est animam  
meam, in cunctis filiabus urbis mee.* Qua via  
plurimi incipiunt perire. In obuios & ob-  
uias obtutum figunt, neque vllam sinunt for-  
mam prætereire, cuius non fumantur cupidi-  
tate; toties attoniti, quoties rapti; quasi Me-  
dusam aspexissent. *Lascini aspectus*, inquit  
Clemens Alexandrinus, & *versatilibus*, &  
*tanquam conuidentibus oculis intueri, nihil est  
aliud, quam oculis mæchari, cum per eos cupi-  
ditas ineat, prima pugna precludia.* Tales ocu-  
los S. Basilus, *libidinis pronubos, ac quasi le-  
nas* vocat, S. Petrus, *plenos adulterij.* De lon-  
ge vidit David illam, in qua captus est; *mulier  
longè, libido prope*, ait S. Augustinus. Nec  
quidquam est castitati magis perniciosum,  
quàm cum Isæo illo Assyrio sic *oculis laborare.*  
Iuuenis igitur iste in nullam vel frequentius,  
vel libentius oculos impegit, quàm quæ &  
vicinissima erat, & speciosissima. O occasio,  
quot fures facis? Nemo, præter cynigeros  
magicis artibus vtentes, ignem accendit in  
stabulo aridis straminibus pleno. Soli isti ni-

Thren.  
3. 51.

Clemens  
Alex. l. 6.  
Strom.  
cap. 1.

S. Basil:  
lib de ve-  
ra virgin.  
2. Petr. 2.  
14 S. Au-  
gustin. in  
Psal. 50.

gri erronee modum nôrunt, quo flamma innoxia, & stipulas & stuppam lambat. At nos audaculi mortales, sine vlla vel arte, vel virtute, stramen & ignem iungimus, & incendium non formidamus? Si, in vicinia esse Sirenum, nocet, quid fiet si ad illas prorsus adnauigamus? si in eadem, cum Circe, domo habitamus? *Quid tibi necesse est*, ait S. Hieronymus, *in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire, aut vincere? quis vnquam mortalium iuxta viperam securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certè sollicitat. Securius est, perire non posse, quàm iuxta periculum non perijisse.* Immò perijsse. Quod iuuenis iste probè expertus est. Sed & Iudæi filia sensit. Vt enim clerico puellæ forma, ita puellæ placuit Clerici pecunia, & magis etiam dona. Ergo vbi animaduertit, se cum cura aspici, tantò lentiùs clerici ædes transiit, vt tantò diutiùs aspiceretur. Summoperè enim sibi plaudunt fæminæ, si vident, se alijs placere; & placere autumant, si intelligant, oculos à se non auerti. Ægrè siquidem, quæ deformia sunt, aspiciuntur: vti & pulchra visum inuitant atque irretiunt. Nam, vt S. Ambrosius ait, *teritur officijs pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia soluitur, dum urbanitas affecta-*

S. Hieronymus ep. 47. ad matrem viduam & eius filiam.

S. Ambr. lib. de virgin.

*affectatur.* Neque ista pro exiguis habenda sunt. Non enim hîc valet illud dicentis, *mel summo digito, non caua manu gustandum esse.* Ionathæ quantum periculû creauit, vel summitate virgæ id attigisse? ex vna scintilla, quanta sæpe incendia extiterunt? Quid non effecit in puella officiosa clerici huius vrbantitas? Quia enim facilè vicissim probamus eos, à quibus probamur, & pronum est hominibus amantes redamare, coepit formosula illa Iudæi filia & ipsa pecuniosum præsertim iuuenem Clericum curiosiùs obseruare.

Philostr.  
in Soph.

*Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,*

Iuuenal.  
sat. 6.

*Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm  
Auribus extensis magnos committit elenchos.*

Fecit itaque quod Salomon in procaci muliere descripsit; nam postquã & ipsa totos dies, velut illex auis ad fenestram sedit, cantuque se adesse monuit; præsertim autem postquam tempus exeuntis & redeuntis, vel è schola, vel ex Ecclesia iuuenis Clerici exactè nouit, omni vigile diligentius excubuit, ne eum negligeret præterredientem, & pileum illicem deponentem; quem & vicissim blando risu

rifu nutuque de fenestrâ resalutavit; beatam se iudicans, si eius se aspectu solari potuisset. Vetus verbum est, *ultronea merx foetet*, & quæ corrumpi incipiunt venum exponuntur. Machæropeus, qui domi habet gladios & pugiones inauratos, ante tabernam exponit enses & ferramenta rubiginosa. Ita castæ & bonæ indolis virgines domi clauduntur, effætæ, & de quarum nuptijs desperatur, in fenestris, & ianuis, & plateis identidem conspicuntur oculis prostitutæ; &, ni fallor, hinc inhonestæ etiam *prostibula* appellantur, quia ante *stabula*, quæstus causa, prostabant olim, nunc ante stabula & ostia quævis. Hinc nemo quærat, cur Hebræa puella non manserit casta.

Propert.  
l. 3. eleg.  
ii.

*Certa quidem tantis causa est manifesta  
ruinis,*

*Luxuria nimium libera facta via est.*

Dabat ipsa vicinia ius iuveni, ut Iudæum subinde inuideret, & cum eo se negotium habere fingeret, vel ludens potitaret. Quanquam non tam pater illi, quàm filia cordi erat, quando domum illam intrauit. *Nempe pater titulus, filia causa fuit.* Libentiùs autem ædes illas subibat, quando parentes ex negotio abesse cognorat. Ea ars erat, ut patrem  
quæ-

quæreret, quando volebat filiam reperire.  
Et volabant nonnunquam vltro citroque  
schedæ litteræque, quæ absentiam illam vel  
indagarent, vel proderent. Hoc est, quod  
Salomon cauere iussit, in illa muliere, à se de-  
scripta, cum dixit: *Prudentiam voca amicam*  
*tuam, ut custodiat te à muliere extranea, & ab*  
*aliena, quæ verba sua dulcia facit. De fenestra*  
*enim domus mee, per cancellos prospexi, & vi-*  
*deo paruulos, considero vecordem iuuenem, qui*  
*transit per plateam, iuxta angulum, & prope*  
*viam domus illius, graditur in obscuro, adue-*  
*sperascente die, in noctis tenebris & caligine.*  
*Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio,*  
*preparata ad capiendas animas: garrula & vaga,*  
*quietis impatiens, nec valens in domo consistere*  
*pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc*  
*iuxta angulos insidians. Apprehensumq; deoscu-*  
*latur iuuenē, & procaci vultu blanditur, dicens:*  
*Victimas pro salute voui, hodie reddidi vota mea.*  
*Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans*  
*te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum*  
*meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto: asper-*  
*si cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo.*  
*Veni inebriemur vberibus, fruamur cupitis am-*  
*plexibus, donec illucescat dies. non est enim vir in*  
*domo sua; abiit via longissima. sacculum pecunie*  
*secum*

Prou. 7. 4.

secum tulit: in die plenâ luna reuersurus est in domum suam. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bös ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinat ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ illius agitur. Eleganter S. Hieronymus ait: Cane, ne domo exeat,

S. Hieronymus ep. 22. ad Eustoch.

& velis videre filias regionis alienæ; quamuis fratres habeas Patriarchas, & Israel parente lateris. Dina egressa corrumpitur. Nolo te sponsum querere per plateas. Sponsus in plateis non potest inueniri.

III.  
OCVLO-  
RVM CV-  
STODIA  
QVAM NE-  
CESSA-  
RIA?

Videte hîc, quantum noceat, quod vos, ô iuuenes, parui facitis, quod exiguum esse existimatis, quod apud vos quotidianum est. Maximi sæpe exitij principium est, oculos incautè aperuisse, & vidisse. Rariùs Basilisci, quàm eiusmodi Medusæ occurrentes nocuerunt. Cum sit inuisibilis anima, ait S. Gregorius, nequaquam corporearum rerum detestatione tangitur, sed per quinque corporis sensus, quasi per fenestras interiora respiciens concupiscit. Hinc etenim Ieremias ait: Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingredi-

S. Greg. 12. Moral. c. 2.

Ierem. 9. ai.

tur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis, & c. Vi ergo S. Iob cogitationes cordis caste seruare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Ne ergo quadam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Neque enim Eua vetitum lignum contigisset, nisi hoc prius incautè conspiceret. Scriptum quippe est: Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. David secundum cor Domini electus, ait S. Hieronymus, & qui venturum Christum sancto saepe ore cantauerat, postquam deambulans super tectum domus sue Bethsabea captus est nuditate, adulterio iunxit homicidium. Ob hoc periculum ait Christus: Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Quid nocet vidisse? inquiunt nonnulli. Plurimum, & tantum, quantum hostem in urbem admisisse. Vt enim hostis in urbem irrumpens spoliat, vastat, incendit omnia; sic vel vnicus aspectus aufert tibi quietem, tollit cogitationes serias & honestas, animum

Gen. 3. 6

S. Hieronymus ep. 22. ad Eustochium.

2. Reg. 116

2.

Matth. 5. 29.

Thren. 3.  
51.S. Hiero-  
nym. in  
vita Hila-  
rionis.S. Greg.  
l. 1. dial.  
c. 10.

animum libidine inflammat. Quod ille queritur, qui ait: *Oculus meus depradatus est animam meam, in cunctis filiabus urbis mee.* Et si vis scire, quò progressus sit iuuenis clericus ab aspectu? ad colloquium, ad oscula, ad stuprum. Quare meritò D. Hieronymus oculorum nutus, *moritura virginitalis principia* appellavit. Et Prosper Aquitanicus refert, puellam Veneris simulachrum impudentiùs intuitam à dæmone infessam. Quemadmodum & Leontius, in vita Simeonis Sali memorat, illum, quem Simeon inflictâ a lapâ curavit, ob stupri consuetudinem à Spiritu malo arreptum. Si enim, vel oculus peccans sic plectitur; immo, si, teste D. Gregorio; matronam nobilem in publica supplicatione cacodæmon inuasit, quòd *carnis*, vt ipse loquitur, *voluptate victa, à viro suo non abstinnerit*, quando sequenti die, Oratorium S. Sebastiani, cum processione reliqua fuit intratura; quanto minùs parceret immundus Spiritus illis, qui propudiosi formarum arbitri, non solùm de fenestris, & in plateis, sed in ipsis etiam Deo consecratis templis, oculos, tanquam venaticos canes, emittunt, vt prædam indagent, & pestem animæ reportent? O quantam in hos nanciscitur Orcus potestatem? quàm eos agit?

agitat? ad quas non foeditates gradatim, præcipitat? Quod agnoscens Antisthenes, quodam delicias prædicante, *Hosium*, in-  
 quiebat, *filys contingat, in delicijs viuere: quia à delitijs in quod non dedecus venit?*

Laërt. l. 7. cap. 1.

Vitia enim sunt instar catenæ, in qua annulus annulum trahit: semper crescunt, nisi citò rumpantur, aut, vt incendium, in scintilla opprimantur. *Doctissimi viri vox est, ait S. Hieronymus, pudicitiam in primis esse retinendam: qua amissa, omnis virtus ruit. Et ibidem. Amor forma rationis obliuio est, Et insania proximus, foedum minimeq; conueniens animo sospiti vitium: turbat consilia, altos Et generosos spiritus frangit; a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inutiles, ipsi nouissime amori facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabili flagrat, plura tempora suspitionibus, lachrymis, conuersionibus perdit, odium sui facit, Et ipsi nouissime sibi odio est. Et S. Ambrosius ait: Sauius criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, Et inexplebilis*

IV. VITIORVM CATENA.

S. Hieronym. l. 1. aduers. Iouinias.

S. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel c. 5.

H

scel-

Idem. c.  
4. in Lu-  
cam.

scelerum sitis, nisi morte amantis extingui non potest. Et alio loco: *Quasi clavis suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cum semel adhaerit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore, reuolare. Actuum enim suorum vincula laqueis, & secularium deliciarum illecebris obnoxia iam tenetur.* Unde & hoc par iuuenum eò processit, vt, amissa integritate, fœdis amoribus vacarent. Quo in flagitio, perierunt Verecundia, Honestas, & irreparabilis thesaurus Virginitatis; Castitasque voluptatum carnis moderatrix. Et quanquã fornicatio cum infideli sacrilegium non est, est tamen in eadem specie fornicatio grauior. Vt autem nulla voluptas maiorem post se trahit animi perturbationem, ita ingens breui anxietas orta est in animo puellæ. Quæ, vbi se prægnantem ac vterum ferre sensit, metu ac sollicitudine plena, id quàm primùm iuueni indicauit, consilium ab eo petens, & remedium; parata infantem antè occidere, quàm eum peperisset, nondum genitrix, & iam interfectrix. Ruborem enim aiebat, se ferre non posse; quamuis eum dudum iam perdidisset. *Est enim verecundia pudicitie comes, cuius societate castitas ipsa tutior est, vt ait S. Ambrosius.*

S. Ambr.  
l. 1. c. 19.  
de offic.

Vere-

Verecundia igitur & pudore amisso, tanquã excusso freno, etsi peccabat magnã licentia, tamen nolebat peccasse videri. Super hæc *& me miseram*, inquiebat, *in legem nostram graviter deliqui*; parentem hoc facinus meum ita *in me incitabit, si resciverit, ut me crudelissimis modis sit interfectorius, clam cruciandam, qua olim palam lapidanda fuissẽm*. Iuuenis, ut erat versipellis, atque ad fallendum ingeniosus, bono eam animo esse jubet, facili se negotio remedium inuenturum, aut rimam, qua elabatur. Certabat in vtriusque animo dæmon de via inveniendã. Feminae quid aliud occurrere poterat, quã ut arctè se constringens fætum immaturum suffocaret, aut tumen-tem vterum dissimularet; vel veneno pelleret, quod conceperat; aut editum in cloacã abijceret; vel fuga sibi consuleret; aut nece sibi ipsi manuq; violenta illata pœnam meritam præueniret? Vel probior, vel nequior fuit iuuenis. *Si dixerit, inquit, tibi pater tuus, vel mater, quid est, filia, venter tuus intumescit, videris nobis concepisse? respondebis: Si concepi, nescio, hoc scio, quia virgo sum, & nondum virum cognovi*. Hæc respondebis, inquit, cetera meæ curæ relinquito; ego eos naribus traham, & probè efficiam, ut credant tibi,

fitq; honori maximo, pudicitiam perdidisse. Ita à se discedunt. Iuuenis, dum secum varias rationes exputat, hoc consilium inuenit. Nouerat cubile Iudæi, in ima parte domus esse, & vergere in plateam. Ad eius valuas, intempesta nocte, accedit, longiore arundine instructus. Ibi foramine modico reperto, arundinem ad dormientes intromittit, & velut per fistulam sibilans, verbaque infundens, hæc fatur: *O insti, & Deo dilecti* (proprijs nominibus eos exprimens) *gandete, ecce filia vestra virgo concepit filium, & ipse erit liberator populi vestri Israel.* His dictis, paulatim & sine strepitu, arundinem foras ad se retraxit. Voce tali, tam insolita, Iudæus expergefactus, uxorem quoque euigilauit: quam ita est allocutus: *O chara mea, non te excitauit quidquam? non audisti vocem cælo missam? Angelus adfuit. Vxore nihil se audisse affirmante; surgamus ait, & humi iacentes leuaueremus, vt & tu vocem illam audire merearis.* Hæc iuuenis, ad fenestram foris aurem applicans, omnia solertissimè excepit. Animatior ergo, illis aliquantulum orantibus, eadem, quæ priùs insurrauerat per canalè verba, repetiuit, & coronidis loco, adiecit: *Magnum debetis filia vestra honorem exhibere,*

*magnam*

*magnam curam adhibere, & cum multa diligentia seruare puerum, de eius virgineo corpore nasciturum, ipse enim est Messias, quem expectatis.* Dixit, & arundine silenter ad se reducta, risum continere non potuit, cum porrò audiret Hebræos coniuges inter se se mirè sibi, de spurio Messia gratulantes. Vbi paululum, ad cachinnum exonerandum, secessit, auscultatū denuo rediit, intellexitque, quàm libenter audierint, crediderintque, *se esse iustos, & Deo dilectos*; quanti que se fecerint, quòd ipsi essent parentes eius Virginis, quæ Messiam esset paritura. Et verò ludibrium subesse non potest, inquebant, cum vox eadem fuerit iterata; & non dormientibus, sed vigilantibus, & preces ad cœlum fundentibus audita. Denique hoc eos, vt plerumque nimis credulos, maximè fefellit, quia falli se non posse arbitrabantur. Nihil ea ampliùs nocte somni capiebant, horæ omnes nimis longæ videbantur; diem properare, singulis penè momentis temporis, optabant. Lux ubi vel crepera terris est reddita, citatam ad se filiam oculis metiuntur, & solito pinguiorem factam deprehendunt simillimamque prægnanti. Tum seriò atque ex animi sententia fateri iubent, vnde illi vterus creuerit? Il-

la non diu responsum meditata, illico, vti à proco instructa erat, dixit, Virginem se esse illibatam, ceterùm si & mater sit, virtute id altiore factum esse debuisse. Huc ducit impudentia. *Erubescere debemus, & condemnare peccatum, non defendere,* ait S. Ambrosius ille officiorum magister, *quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur.* Cumulauit & hæc puella culpam apud mortales pariter ac immortales.

S. Ambr.  
lib. de  
Abel &  
Cain.

V.  
INFAMIS  
ET MISER  
EXITVS  
VANITA-  
TIS ET  
IMPVRI-  
TATIS.

Vidisses parentes, præ gaudij magnitudine, se non capientes. Et, quia magnæ lætitiæ animorum, non possunt premi, illico vicinis, vicini familiaribus, hi amicis suis dicunt, scribunt, narrant, & quæ ab Angelo manifestata, & quæ à filia Virgine modestissima modestissimèque intellecta fuissent. Ex rumore fama, è fama fit in omnibus plateis clamor, & ingens congratulatio omnium synagogarum. Concurritur vndique è pagis, castris, vrbibus, ad virginem videndam, salutandam, munerandam, quæ Messiam esset paritura; congeruntur dona, honores exhibentur. Sed nemo omnium suam personam meliùs egit, quàm puella, doctissimè simulans sanctitatem, & in sinum suum ridens, quòd, cùm lupanari debita esset, throno Salomonis

nis

nis digna censeretur. Insultabant iam etiam  
Iudæi Christianis, quòd, in eum vsque diem;  
gratis Christum pro Messia habuissent, &  
in eo impletum iactassent, quod Isaias esset  
vaticinatus: *Ecce virgo concipiet, & pariet fi-* Isa. 7. 14.  
*lium, & vocabitur nomen eius Emmanuel:*  
Iam demum apparere imposturam Christia-  
norum, Iudæorum verissimam veritatem.  
Talia, per rotam ciuitatem Wormatiensem,  
perque dissita etiam loca, non sine offensio-  
ne multorum, quotidie iactabantur. Verè,  
tu Deus, *odisti obseruantes vanitates superuacue;* Psal. 30. 7.  
*&, in vanitate sua apprehenditur peccator.* Eccli. 23.  
8.  
Nam inanissimos hos triumphos in magnum  
luctum conuertisti. Aderat iam tempus pa-  
riendi, quo ingens ad domum puellæ conflu-  
xit multitudo Iudæorum cupientium *nona*  
*nativitate diu desiderata letificari. Sed iustus*  
*Deus, vanam spem iniquorum conuertit in fabu-*  
*lam, gaudium in tristitiam, expectationem in con-*  
*fusionem.* Vt enim eorum patres olim, cum He-  
rode, de nativitate salutifera filij Dei turbati  
sunt; ita & ipsi gaudere de vanitate in luctū  
desiturā merebantur. Adfuit ergo tandem  
hora partionis, & ecce, ad aliarum mulierū  
morem, dolores, gemitus, clamores exaudi-  
ebantur, & prope Corybantes necessarij

erant, qui cymbala pulsarent, ne tanti puellæ eiulatus à gente Hebræa, ante fores, & in plateis ante domū stante perciperentur. Quamquam ij clamores vocibus Iudæorum satis confundebantur, identidem clamantium, *Messia, Messia veni, desiderium collium æternorum, desiderate cunctis gentibus.* Magna expectatio, magna illusio. *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* Nam hæc dum clamarent magnis vociferationibus, prodijt tandem infans in lucem, sed infelciter; metamorphosi prorsus inopinata: non enim Messiam, sed puellam peperit putata virgo; cuius spes omnes, omnis honor, gaudium omne in irritum ceciderunt. Riserunt Christiani Messiam feminam; triumphavit vera Religio; data est in ruborem vanitas: Mendacium sutorio atramento absolutum: Iudæi tantæ ignominiaë impatientes, penè disrupti sunt indignatione; quorum vnus in furorem datus arreptum pede infantem ad parietem allisit; mortemque infanticidio, ipse etiam meruit. Parentes, postquam puerperam tormentis adegerunt prodere stupratorem, penè ipsi etiam luctu contabuerunt. Filia præ pudore, non ausa est ampliùs in publico comparere, omnium digitis notanda, mens

lis omnibus narranda, omnibus seculis cantanda. Hunc finem habet infamis voluptas. Verè D. Hieronymus exclamat: *ô quam acerbis fructus luxuria, amarior felle, crudelior gladio!* foetentior hirco. Vnde in Emblemate,

*Est eruca salax, indexq, libidinis hircus.*

Nullum certè peccatum est magis erubescendum, nullum, ipsa natura duce, homines magis occultare nituntur; vnde & *inter opera tenebrarum* præcipuè computatur; & à S. Paulo *passiones ignominie* appellantur, quæ ad hoc peccatû incitant. In inferno, igne sulphureo punientur luxuriosi, quia summus est fætor huius flagitij. Quod etiam ita punitum est, in hac vita, quando *Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem.*

Et punitum est per *passiones ignominie*, in multis viris, reprehensas. Tigillinum præfectum vigillum & prætorij, inter supra concubinarum & oscula, sectis nouacula faucibus, inhonestam clausisse vitam, ait Corn. Tacitus. Speusippum Philosophum de Platonis schola in adulterio turpiter perijsse, refert in Apologetico Tertullianus. Ignominiosum est hoc viris, & pro fræno esse potest. Sciuit Deus muliebris sexus, in hoc vitio, fragilitatem, quare, velut frænum aliquod, aut anti-

Andr Alciat Emblem. 72.

VI.

INFAMIA  
LIBIDINOSORVM.

Rom. 1.  
26.

Gen. 19.  
24.

dotum, illis à natura adiecit maiorem quam-  
dam verecundiam naturalem; quæ nisi esset,  
pauca castæ essent. Plurimæ enim magis se  
continent, ne coram hominibus erubescant,  
quàm ne Deum offendant. Vident, nihil esse  
contemptibilius muliere impudica; quippe  
**Eccli. 9.** *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus*  
**10.** *in via conculcabitur; nullus vult eam hone-*  
*stus ducere; nulla honesta matrona vult eam*  
*in domo seruare. Inter maxima conuitia est,*  
*& velut per compendium dedecus omne ar-*  
*guitur, si qua meretrix appellatur. Certè, iu-*  
*xta Apostolum, quæcunque domina sciens*  
*ancillam suscipit, & in domo sua retinet in-*  
*famem, meritò & ipsa pro infami lena aut*  
**Rom. 1.** *meretrice est habenda: quoniam qui talia*  
**32.** *agunt, digni sunt morte: & non solùm, qui ea*  
*faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*  
 Igitur, si non culpa, saltem infamia tales de-  
 bet frænare. Ad hoc enim data est *verecun-*  
**Aristot.** *dia, quæ est dolor quidam ac perturbatio ex ma-*  
**lib. 4.** *lis aut præsentibus, aut futuris infamiam infe-*  
**Ethic. &** *rentibus proueniens, vt vult Philosophus, seu*  
**lib. 2.** *vt S. Thomas, est timor turpitudinis exprobra-*  
**Rhet.** *bilis, qui principaliter respicit vituperium, culpã*  
**S. Thom.** *consequenter: ad hoc pudicitia, qua quis ve-*  
**2. 2. q. 116.** *recundatur de actibus, de quibus homines*  
**a. 2.** *magis*

magis verecundantur, & infamantur. Hanc in puellis infamiam prodit venter; vt negare non possint, quod natura testatur. Et, quamuis, vtique à corruptis, inuentæ sint vestes mulierum nouæ, in orbem distentæ, ac circa lumbos, instar abollæ, longè latèque diffuentes, & follicantes, quæ vterum iam grandem & partui proximum possunt cælare; prodit tamen certè vel ipse partus tandem claro vagitu facinus matris suæ; qui nihil aliud clamat, quàm vt crimen eius accuset, quæ, si, quod professa est, fuisset, eum non peperisset. Siquidem, post verum Messiam genitum, nulla ampliùs virgo parit. Ploratu itaque proles ait: *in peccatis concepit me mater mea*: nec iam ab Adamo prima mea duntaxat origo, sed hæc proxima quoque me contaminauit: ita *ex ore infantium* Deus manifestat veritatem. Quanti sit pudoris hoc flagitiũ, testantur illæ ipsæ impurissimæ meretrices, quæ, præ pestilenti verecundia, id confiteri omittunt, vt à Confessario virgines putentur. Quas non tantũ impudicas, sed etiam sacrilegas postea fuisse intelligit, quando se se veritas prodit. In sacro tribunali humiles nos esse oportet, quando autem ad inhonesta allicimur, ibi verecundos, O quàm erubescant,  
in ex-

in extremo iudicio istæ, quæ coram vno sacerdote, non audent turpitudines suas accusare, eoque homine, & sciente humanam infirmitatem? quantus pudor, quæ infamia erit, coram toto mundo stare, & proclamari meretricem, mendacem, sanctitatem & innocentiam fingentem, denique sacrilegam, & SS. Pœnitentiæ & Eucharistiæ violatricem! *Hominem vereris presentem*, ait S. Ambrosius, *Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti non vereris presentiam?* Quos non conscientiaë morsus sentiunt, quæ à parentibus, à famulatio, ab ipso facinoris conscio stupratore, se audiunt virgines saluari? Nonne amarissima est ironia, si te virginem vocat, qui fecit meretricem? Quanta enim laus est virginitatis, tantum dedecus est in impuritate. *Pudicitia*, inquit S. Cyprianus, *est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordia caput, &c. Sed ut matura in viris probata semper, & à feminis appetenda, sic inimica eius impudicitia semper est detestanda, obscœnum ludibrium reddens ministris suis, nec corporibus parcens, nec animis. Tantam habet vitium carnis fœditatem, vt nomen turpitudinis propriè sortiatur.* Omnia enim, vt S.

Thomas

S. Ambr.  
in Psal.  
118.

S. Cypri-  
an lib. de  
bono pu-  
dicit.

Thomas docet, sensu & cupiditate carnali, S. Thom.  
 qui nobis communis est cum bestijs, non ra- 2. 2. q. 156.  
 tione metitur. Qua de caussa Aristoteles alij- 2. 4.  
 que Ethnici Philosophi luxuriam, inter bel- Aristot. 7.  
 luina vitia enumerauerunt; & David luxu- Ethic.  
 riosos dixit fieri, sicut equus & mulus, quibus c. 6.  
 non est intellectus. S. Petrus illos comparauit Psal. 31. 8.  
 sui lota in volutabro luti; S. Paulus eos esse af- 2. Petri.  
 feruit, quorum Deus venter est, & gloria in con- 2. 22.  
 fusione ipsorum: qui terrena sapiunt. Quorum Phil. 3.  
 omnis fortitudo in lumbis, & vis, in umbilico 19.  
 ventris est. Nihil ita homini charum est, vt Iob. 40.  
 honor, apposuit Deus libidini ignominiam, 11.  
 vt tantò magis ab ea abhorreret, quantò mi-  
 nùs vult honoris pati detrimentum. Est enim  
 vitio huic adeò annexa infamia, vt ob illud  
 Magdalena non solùm à Pharisæo, sed etiam  
 ab ipso Euangelista peccatrix appellaretur. Luc. 7. 36.

Vt autem pudore tantò magis deterrean- VII.  
 tur, non tantùm notantur impudicæ, quan- B. MA-  
 do vocantur peccatrices, sed etiam quando RIAE VIR-  
 proprio nomine nuncupantur. Pleraq; enim GINIS NO-  
 feminarum nomina sunt virginum nomina, MEN, RE-  
 aut certè non modò honestarum, sed etiam VEREN-  
 sanctarum matronarum. Quid putas tibi TIA, SO-  
 dici, si inhonesta es, quando Cæcilia, Thecla, DALITA-  
 Catharina, Barbara, Vrsula, Margarita aut STITATIS  
 Martha MOTIYVM,  
 LILIA.

Martha vocaris? Hungari, reuerentiæ causa  
 erga Dei Matrem *Dominam suam*, nulli alteri  
 fæminæ nomen *Maria* imponunt. Quàm in-  
 dignum fuit, Iudæi huius obscœnissimã filiam  
 tantùm sibi sumere, vt, ad regendum facinus,  
 se sineret, pro *Messia matre*, haberi, & hono-  
 rari? ita indignissimum est, te tantæ Virginis  
 nomen ferre, & non imitari virtutem; sed  
 scortari, mœchari. Verùm ad vos me con-  
 uerto, Mariani Sodales, quorum hodie pa-  
 trona, Angelo nunciante, in Matrem Dei ele-  
 cta colitur, vos nolite prædictum iuuenem  
 Clericum imitari, qui otio, ignauia, Baccho  
 & ventri deditus, aliud fortasse è diuinis li-  
 teris nihil sciuit, quàm vt Isaię de Virgine pa-  
 ritura vaticinium, in scurrilem iocum, & ad  
*excusandas excusationes in peccatis* adhiberet.  
 Væ, qui se Virginis profitentur ministros, &  
 in sordibus versantur, die ac noctè! *Virginis*  
*illa virgo est*, non meretricum, non scortato-  
 rum, non libidinosorum. Nullos magis pu-  
 rissima auersatur, quàm impuros; castissima  
 quàm incestos, intemerata, quàm maculis  
 omnibus inquinatos. A Deo, atque ex  
 Euangelio discite, quales esse oporteat, qui  
 eius esse in familia volunt. Ad *Angelorum*  
*Reginam & Dominam* missus est Angelus Ga-  
 briel.

Luc. 1.  
 Matth.  
 22. 30.

briel. Qui sunt Angeli, vel Angelis pares, immo superiores? *qui non nubunt, nec nubuntur*; qui in carne viuunt sine carne; inter delicias sine voluptate. Hi non tantum Angeli sunt, sed Angelis, hoc nomine, maiores; Angeli enim, quia non tentantur, non pugnant, non vincunt, nec referunt coronam suæ castitatis. Vobis magni ea virtus constat. Rogarat aliquando religiosus, Cupidine exagitatatus, F. Ægidium, quo sibi antidoto, aduersus hoc morbi genus, vtendum arbitraretur? *Quid, inquit ille, mi frater, quid molosso te incessenti faceres? Saxo, dixit alter, aut fuisse ita exciperem, vt fugere compelleretur.* Tum S. Ægidius, *Ita cum carne tua, quando lasciuire incipit, age & desinet molesta esse.* Sic, diuinâ gratiâ, vos carnem vestram tractatis; atque, vt, quæ priuatim scio, plurima omittam, ardor corporis castigandi, & è multitudine, & è feueritate se se flagellantium heri eluxit. Mirati sunt multi tantam austeritatem; multi ad imitandum exarserunt. Si vñus esset, his remedijs clericus ille iuuenis, longè meliorem nobis historiam reliquisset. Itaque ille abominatio fuit Deiparæ, nec jam Angeli, sed diaboli officio functus; quem non potuit, nisi vt desertorem, & irrisorem agnoscere:

Chron. S.  
Francisci  
l. p. l. 7.  
c. 7.

scere: cum similis simili gaudeat, & castos casta amet; impuros Virgo excretur. Vos Angelum Gabrielem imitami, cuius insigne est, vt, liliū gestans, Mariam pingatur salutare. Liliū enim est symbolum castitatis. Supernè patet, in imo clauditur; vti & castus ad hæc inferiora, mundana & carnalia cor gerit clausum; sed apertum ad cœlestia, vt dicat: *Nostra conuersatio in cœlis est.* Sic enim etiam *mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Liliū candet, vti & castitas est pura. Liliū punctis aureis fulget, vti & castitas ornata charitate. Nam Christi & Matris eius amore vos seruatis illibatos. Liliū est medicina vstionis; vti nihil magis extinguit flammam libidinis, quàm amor castitatis. Liliū integrum cum est, candet, & miræ est fragrantia, contritum autem & læsum, ac confricatum splendorem pariter amittit & odorem; atque illico foetere incipit; ita castitas quàm diu integra manet, cœlestem spirat odorem; violata autem foetet, vt infernus.

Catull. in  
carm.  
nupt.

*Vt flos in septis secretus nascitur hortis,*

*Ignotus pecori, nullo confusus aratro,*

*Quem*

*Quem mulcent aura, firmat sol, educat  
imber,*

*Multi illum pueri, multa optauere puella:  
Idem cum tenui captus defloruit ungue,  
Nulli illum pueri nulla optauere puella.*

*Sic virgo dum intacta manet, tum chara  
suis, sed*

*Cum castum amisit polluto corpore florem,  
Nec pueris incunda manet, nec chara  
puellis.*

*Quid est, iumenta putrescere in stercore suo, ait  
S. Gregorius, nisi carnales homines in foetore lu-  
xuria vitam finire? Quid multis opus est?  
ita fatet hoc vitium, vt qui ei sunt dediti,  
conscientia suadente, frequentare Congre-  
gationes sponte desinant, atq; seipfos exclu-  
dant; quos sciunt B. Dei Matri abominan-  
dos. Quæ est maxima laus & Congregatio-  
num, & Congregatorum: nam, sicut mare,  
mortuos eijciunt.*

Cum ergo liligeri sint casti, atque illis in-  
signibus, ob bonum vitæ odorem, ob inno-  
centiæ candorem, ob eminentiam virtutis  
conspicui esse mereantur; quibusnam insigni-  
bus notantur impuri? Nimirum fractis au-  
ribus, exesas enim sæpe habent aures, more  
suum, oculos sugillatos, totam faciem tube-

I

ribus

VIII.

IMPRO-  
RVM INSI-  
GNIA NON  
LILIA, SED  
CORNVA.

Sur. 20.  
Ianuarij.  
Cyrill.  
monach.  
in vita S.  
Euthym.

Sueton.  
in vita  
Tiberij.

Zach. 10.  
3.  
Matth.  
25. 32.

ribus notatam, & floribus illicitæ Veneris. Quin & fœtor illos prodit; halitus damnat; hircuiunt; neque iam hircorum contenti sunt cornibus, verùm etiam ceruorum ramos gestant, de Phryxis in Actæones transmutati. Vt enim taceam à D. Senensi Catharina, à S. Euthymio Abbate, atque alijs quibusdam Sanctis Venereos illos pufiones, cùm fortè in via transfirent, de fœtore suo agnitos: Si bene ac rectè iudicas, ait in quadam homilia Cæsarius, incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogitationes luxuriose, quam cloaca. Certè Mallonia illa illustris Romana, quando mori sponte maluit, quàm in impuras Imperatoris delicias consentire, Tiberio non est verita, tanquam hirsuto atque olido seni, obscœnitatem oris exprobrare. Quapropter ille à vulgo *Hircus vetulus* est appellatus; honestissimo nomenclaturæ genere. De talibus supra citatus Poëta canit,

*Est eruca salax, indexq; libidinis hircus:*  
immo ipse de talibus ait Dominus, per Zachariam: *super hircos visitabo.* Tunc scilicet, quando homines separabit ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: *Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* Atque, vt noua quondam forma, *alienaq; cor-*  
nua

*nna fronti Addita* Aristæum & Actæonem dedecorarunt, ita isti matrimoniorum vastatores non solum ipsi cornibus fœdi sunt, sed alijs quoque, cum Diana, ignominiam aspergunt: vt dici possit,

*Dant sparso capiti vinacis cornua cerui.*

Quod, in Annalibus Choniates de Andronico Imp. Constantinopolitano memorat, qui *cornua ceruorum* insignia & rari aliquid habentia, in porticibus fori suspendi iussit; non, vt alij magnates in palatijs faciunt, ob speciem magnitudinis ferarum, quas cepisset, ostentandam; sed potius, vt feminarum, quas ipse corruppebat, & ciuitatis mores notaret. Fertur (fabulane, an historia, non contendo) curiosa aliquando mulier vidua intrasse templum, vt interesset, dum caco-dæmon ex infesso eijceretur. Ibi dum varia varij ex illo Spiritu sciscitantur, illa quoque scire voluit, vbinâ suus maritus paulò prius defunctus esset? in Cœlo, an in Purgatorio, aut apud Inferas sedes? cui amarissimè iocosus Satan respondit, neque in Cœlo eum esse, neque in Purgatorio, neque etiam in Inferno: ita enim eum ab illa cornibus multis magnisque esse oneratum, vt non modò, non per angustam Cœli, sed neq; per amplissimam Orci

Ouid. l. 3.  
Metam.

portam quiuerit intrare. Quod de vna muliercula facilius credi potest, si tota quædam communitas, hoc insigne potuit tanquam honorificum acceptare. De muliercularum Insularum licentiosa impuritate, tempore Galeatij Sfortiæ, in hunc modum scribit Iouius. *Ea tum erat ex multo otio luxuriantis seculi conditio, in ipsis præcipue nobilioribus matronis, ut totum pudicitia decus ab humanitate aula alienum prorsus & subagreste putaretur: ideoq; Princeps ad licentiam libidinis proclinatus, & iuuenta vigore venustateq; oris supra omnes spectatu dignissimus procacibus feminarum oculis & desiderijs cupidissime deserviret. Erat enim tunc vulgatum inter feminas, nullam ex Principis concubitu fieri impudicam, earumq; maritos, qui ineptis hirci videri possent, ita excellere aureis cornibus, ut dignitate cunctos anteirent. Quò ulterius progredi potest cæca libido? si ipsa dignitatem meretur turpitudine? & ignominia nota signum excellentiæ existimatur? Nimirum rectè Aristoteles luxuriam inter belluina vitia posuit; illa enim, ut doctè S. Thomas animaduertit, omnia sensu, & cupiditate carnali, quæ nobis communis est cum belluis, non ratione metitur; quare hominem similem facit equo & mulo,*

Iou. in  
elog. l. 3.

Aristot.  
lib. 7.  
Ethic. c. 6  
S. Thom.  
22. q. 156.  
a. 4.

mulo, quibus non est intellectus. Ac, ne cornua  
 defint, inuenies, apud alios tauro, apud Cle-  
 mentem Alexandrinum, libidinosum etiam  
 centauro, apud alios, alijs bestijs, in ignomi-  
 niam, comparatum. I nunc, & sodalitatem  
 tibi elige; libido inter bestias, castimonia  
 inter Angelos, te faciet sodalem: illa inter  
 vpupas, hæc inter columbas: illa inter hœ-  
 dos, hæc inter agnos te statuet. Huius preti-  
 um est cœlo dignum; illius tanta immundi-  
 tia est, vt Fœlicula virgo, postquam nullis  
 tormentis aut pollicitationibus à Christiana  
 religione ac puritate corporis diuertere potuit,  
 maluerit, iussu Flaeci comitis, in latrinam  
 detrudi, & ibidem mori, quàm libidine con-  
 taminari. Nulla scilicet corporis labe nocere  
 potest, si anima se inquinari non patia-  
 tur: quemadmodum nihil iuuant corporis at-  
 que vestium munditiæ, vbi pectus plenum  
 est sordibus pudendis & erubescendis, vul-  
 tusque ipse Vitelliana cicatrice stigmatosus.

Psal. 31.

9.

Clem.

Alexand.

1.4. Strom.

### PARS SECVNDA.



ED quia nonnulli adeò sunt duræ &  
 perfrictæ frontis, vt nesciant am-  
 pliùs erubescere, ad aliud nobis  
 remedium est veniendum. Licet, tota ciui-  
 tate

IX.

IRA DEI  
 IN DETEN-  
 TIONE  
 NAVIS, ET

IMPURAE  
SVMER-  
SIGNE  
OSTENSA.

Jerem. 3.  
3.

tate differantur, licet publicis vocibus meretrices nominentur; licet illis in faciem dicas, nomen illarum esse cum pudicitia prostitutum; licet inculces, ipsas, domum, cognatos, totam familiam dedecore affici; adhuc rident, adhuc de fenestra annuunt, adhuc velut aues illices cantu vocant pelliciuntque transeuntes, & tantum non hederam aut myrthum præ foribus appendunt, ut ibi Bacchi & Veneris Nymphas ac ministras constet habitare; licet vaticineris, à provincia relegandas; licet mineris carceres & carnifices; licet dicas virgis per forum agendas, capite plectendas, nihil his omnibus mouentur; idcirco merito audiunt: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Vbi ergo verba nihil efficiunt, ad verbera est procedendum. Apud serviles animos plus potest corporis dolor, quam animi pudor: perfruerunt faciem, frons illis ænea est; cutis tenella; ictus solos sentiunt, dedecus contemnunt; sicut nec hili faciunt, quidquid viderint, à salua, quam semel imbiberunt, discrepare. Si quos itaque honestatis omnis oblitos, non commouet supra dictæ puellæ parentumque & cognatorum eius, omniumque Iudæorum tam luculenta infamia, clades

des, calamitas; nōrint grauiora sibi à Deo, quàm ab hominibus impendere: nōrint Apostoli comminationem: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini*: nec morte tantùm animæ, sed non rarò etiam morte improuisâ. Huius rei exemplum breue, sed illustre refert Ioan. Moschus, aliàs Euiratus, cuius liber est tantæ authoritatis, vt in ipsa quoque septima synodo citetur. Vt enim appareat, quanta sit grauitas huius criminis, Palladium adducit testem, qui à nauarcho ipso, cui id contigit, rem audiuit narrari. Is cum alijs Constantinopolim, alijs Alexandriam, alijs aliò nauigantibus, & ipse è portu soluit. Par conditio erat omnium, par tempestas, pares venti: sed nauigatio impar. Nam vbi omnes in altum iam promōrant, alijs prosperè euntibus, solus repente, in medio mari, coactus est subsistere. Remoram piscem aiunt, alioqui vim eam habere, vt nauem sistat, cui sese applicat. Sed nullus ibi piscis, nulla arena, breuia nulla, nullæ sidebant anchoræ; & tamen nauis immota stabat. Nihil venti in vela incidentes, nihil remi pellentes, nihil, qui ad clauum sedebat, vel arte, vel labore efficere potuerunt. Stetit nauis tanquàm rupes. Neque verò vnus horæ duntaxat id

Rom. 8.  
13.Io. Moschus in  
Prat. spir.  
rit. cap.  
36.

S. Greg.  
l. 6. dial.  
cap. 11.  
Sur. 10.  
Octob.  
Socrat.  
lib. 7. c. 36.  
Baron.  
An. 434.

spacium fuit; totos quindecim dies ea nauis pertinacia durauit. Semper eodem loco hærebat, quasi clauis affixa, aut centum anchoris astricta. Versabantur omnes, in magno metu, mœstitia, & desperatione, inde potissimum anxij, quòd causam non perspicerent, qua progressus nauis in liquido impediretur elemento. Quando S. Cerbonij corpus, ex Helba insula, Populonium est, per mare, transfuectum, immensa pluuia, toto itinere, circa vtraque nauis latera, procelloso turbine, deiecta est, neque vnicâ quidem gutta in nauim illapsâ. Nauis oneraria maxima, ingentes columnas vectura, è littore Troadis in mare traducenda erat, nec tamen à magna hominum multitudine, iniectis funibus trahi poterat, idque per dies complures, vt adeò à cacodæmone detineri putaretur. Rogatus est Siluanus Troadis Episcopus, vt ad littus egrederetur, & precibus ad Deum fusis nauem promoueret. Orauit, funera leui manu apprehendit, & nauis illico secuta est ductum trahentis. Sæpe igitur vel ab Orco cursus nauium interpellatur, vel à Cœlo incitatur. Quare & ille nauclerus ope humana destitutus, ad diuina se contulit auxilia; compluresque dies Deum ardentibus votis

votis rogavit, vt in tanto rerum discrimine versantibus ne deesset. Quod & illos nau-  
tas fecisse legimus, qui Ionam vexerunt,  
quando *Dominus misit ventum magnum in ma-* Ion. I. 4.  
*re; & facta est tempestas magna in mari, & navis*  
*periclitabatur conteri.* Quem admodum autem  
tunc Propheta dixit: *Tollite me, & mittite in*  
*mare, & cessabit mare à vobis;* ita ad nauarchū  
hunc orantem vox da cœlo accidit, quæ di-  
ceret: *Mitte foras Mariam, & bene nauigabis.*  
Cogitanti, quid hoc sibi veller, & quam  
Maria esset in mare præcipitanda, altera mox  
& repetita sententia est in aures ingesta: *Di-*  
*xi tibi, Mitte foras Mariam, & salui eritis.*  
Exclamat gubernator illico: *Maria, ô Ma-*  
*ria!* nesciebat enim, quæ, aut vbi illa esset.  
Maria. Iacebat quædam obscuri nominis  
femina in angulo extremo nauis, Maria di-  
cta, quæ se citari existimans, *Quid fieri vellet*  
*Dominus nauis,* interrogavit? Iussit eam  
naulerus ad se venire, ac, remotis arbitris,  
ita compellauit: *Vides, Maria, me peccato-*  
*rem? non est numerus scelerum meorum; non po-*  
*test ea pati Deus: eorum grauitas tanta est, vt*  
*nauim non sinat progredi.* Nimirum ego sum onus  
illud propter cuius flagitia vos omnes estis peritu-  
ri. Dixit hæc, cum tanto animi sensu, vt ex-  
I 5                   emplo

emplo ista mulier in se descendens, altum  
 ingemisceret, diceretque: *O mi nauarche, tace  
 de tuis, ego, ego verè sum peccatrix.* Tum nau-  
 uarchus, *Quæ, inquit, putas peccata esse, qui-  
 bus Dei in te iram concitasti? Va mihi,* ait mu-  
 lier, *non est ullum genus peccati, quo non sim in-  
 quinata. Meo merito, meâ culpâ, in hoc periculû  
 venistis. Vna perpetravi, quod omnes luitis. Et,  
 ne me ficto hac animo loqui existimetis: Mari-  
 tum ego habui, ex quo duos filios peperì, quorum,  
 cùm vnus ad nonem, alter ad quinque annos æta-  
 tis venisset, coniunx mortuus est. Ego vidua,  
 cum sine viro esse non vellem, in vicinum mihi  
 militem oculos conieci; is me ita totam cepit, ut  
 eum non ambita omnibus modis ambirem, intuitu,  
 nutu, salutatione, & quia infamiã metuens,  
 eius non ausa sum domum intrare; tandem, amo-  
 ris impatiens, ad eum meos familiares mittere  
 statui, nuptiasq; eius flagitavi. Negant subin-  
 de, ob iustas causas puellæ, se in coniugiũ  
 alterius consensuras: sed profectò sæpius iu-  
 uenes ac viri cordati, quando animaduer-  
 tunt, non se, sed suas opes peti; aut vident,  
 se mirabiles cum vxore, ducturos appendi-  
 ces. Quod etiam miles iste vidit. Nam etsi  
 mali de vidua nihil audiuit, etsi rogari, quàm  
 rogare maluit, viris tamẽ ad se legatis, rotun-  
 dis*

dis verbis negavit, se vxorem ducturum, quæ ex altero viro filios suscepisset; hæreditatem diuidi, minui amorem, caussam dari innumeris litibus, deniq; vitricum se, non parentem nominatum iri. Ita nimirum, vt dixit S. Cyprianus, *offert demon oculis formas illices & faciles voluptatis, vt visu destruat castitatem.* Quippe vidua hæc militem nimis sipientibus oculis contemplata, primò calere, mox ardere cœpit; postquam autem eius potiundi sibi spem incidi audiuit, etiam, præ amore insanijt. Quæ enim insania maior esse posset? non dormire, non quiescere quinit; nec cibus illi, nec potus sapuit; omnia in tædium mutata sunt; denique, consueto mulierum more, & contagio iam ab Eua tracto, vetitum magis amauit: vtque desiderata, dum negantur, commendantur; ita illa non destitit, per vim, per dolum militem sibi adipisci. Quam in rem varia excogitauit, quibus sibi sponsum faceret; adiit vicinas, quæsiuit philtrea, parauit veneficia; sed breuissimum illi rei conficiendæ compendium, dictauit cacodæmon, quo suggerente, ex vidua facta est Medea; nam extincto omni amore naturali, duos, sibi ante hæc charissimos filios, spem nominis, solamen domus, occidit,

S. Cyprianus de zelo & inuidua.

dit, ne Iasone suo carere cogeretur. Ita Veneris amor, maternum amorem strangu-  
lat; & quiduis audet, vt vel per philtrea, vel per  
venena, vel per quæcunque flagitia, desiderijs  
suis potiatur. Non est dubium, commota  
esse viscera materna, quando vidit primoge-  
nitum, nouem annorum puerulum, grassan-  
te pharmaco, expallescens, & , inter ma-  
ximos cruciatus, cum morte luctantem, sed  
furor nescit frænari; & vim naturæ infert.  
Quare & alterum quinquennem interemit,  
duo funera intueri tolerabilius rata, quàm  
spe carere nuptiarum. O cæcus amor! ô mu-  
lier quid non facis, dum furis? Et tu, ô ju-  
dex Mundi, qui hæc de cælo aspicias, cur  
parcis? Non parcis, sed differs, vt patientiæ  
tuæ virtutem, & iræ simul ostendas æquita-  
tem, dum tempus expectas magis opportu-  
num, demonstrasque humani consilij vanita-  
tem, quod se sæpe priuat maximo bono, illud,  
quod sperat, non consecuturum; vt vtro-  
que careat. Hæc igitur vidua occiso vtroque  
filio, ac sepulto, quasi obice remoto, bona  
iam spe, militem foras prodeuntem observa-  
uit, atque in via vltro interceptum allocuta  
est, in hæc verba: *Scis te, à me amari, eaq; pro-  
pter nuptias tuas expetij. Et vt agnoscas te ama-*  
riue.

ri vehementer, ecce filios meos, quos solos intellexi matrimonio nostro obstare, ex oculis remoueri. Nec illibenter, ut nôris, illis me priuauit, quia ex te alios spero; quem, ut iterum nôris, quanti faciam, ecce, ut unum haberem, duos interemi: da te igitur mihi, cui te vides sanguine meo esse chariorem. Quàm noxia sunt consilia furiosorum? quæ ista ad matrimonium adiumento fore sperauit, ea maximè obstiterunt. Miles enim, ut cognouit, eam tam crudele facinus admisisse, iam multò magis Furiam videns auersabatur, & cum iuramento protestatus est, se nunquam in coniugium illius consensurum, apud quam illi semper in simili periculo ac metu esset viuendum. Nam censuit, eam non aliã in maritum fore, quàm in proprios liberos extitisset: quouis verbo, quouis acerbioris aspectu occasionem latrocinij accepturam. Repudiata igitur, ne scelere patefacto, magistratui ac publicæ iustitiæ obijceretur, fugit. Sed Dei manum quis effugiet? *En adsum* igitur, aiebat ad nauarchum, *age mecum, quod lubet; merui dudum perditam, omnibus modis perire.* His auditis gubernator, vir æquè moderatus ac prudens, ne quid præcipitanter ageret, nondum voluit eam in fluctus spargere; sed certius, vtra pars

rea

rea esset, exploraturus dixit: *Ecce ego in scapham descendam, si, me absente, navis progredi cœperit, manifestum erit, meis illam fuisse peccatis attentam.* Dixit, in scapham se demisit, nihil promovit. Fixissima & navis & scapha hæsit, eodem loco, eodem pondere ligata. Regressus ergo in navim, ad mulierem conuersus ait: *Nunc & tu in cymbam egredere.* Vix in eam mulier demissa est, cum statim scapha tanquam vertiginem passa, se quinquies in gyrum circumuertens, velut tanti oneris impatiens, sponte subsidit, & cum muliere videri desijt. Navis autem, illico *tanta velocitate cucurrit, ut tribus diebus ac dimidio, navigatio fuerit peracta, quæ quindecim diebus alioqui indignisset, Deo moras compensante.*

X.  
 PECCATI  
 PONDVS,  
 DIVINIS  
 POENIS  
 INDICA-  
 TVM.  
 Exod. 15.  
 10.  
 Zachar.  
 5. 6.  
 Sapi. 9. 15.

Quid miramur in femina, quod regi, quod toti olim genti & exercitui contigit? quando, ô Deus, *flavit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus?* Nimirum hoc est, quod Zacharias vidit; *hæc est amphora egrediens. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphora.* Caro nimirum est amphora, in qua anima sedem suam habet, quæ impudiciâ, & impietate, velut *lento plumbi, deprimitur, corpus enim, quod corrumpitur,*

rumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Vbi mihi discrimen vide: multi corporis castitate vsque in cœlum leuantur; alios impuritas mergit in profundum inferni. S. Maximiano Præsule Syracusano Constantinopoli Romanam nauigante, in Adriatico mari, exorta est atrox tempestas, in qua disruptis velis, malus fractus, & nauis ipsa vndiq; scœdum in modum lacerata, plurimis foraminibus inimicam aquam admisit, & ad tertiam vsque Zonam impleta est, vt adeò mare æquè in nauis, ac nauis in mari esset. Ibi, sumta omnes SS. Eucharistia, ad piè moriendum se comparauerunt. Sed eorum (maximè autem S. Maximiani) virtute, onerata fluctibus triremis, toto octiduo, a se ipsa velut vim habens, continuò progressa est; nono die, postquam ad portum incolumes omnes peruenerunt, vnus post alterum in littus exscendit; agmen clausit vltimus Maximianus, quo vix in littus egresso, eodem temporis momento, nauis, quæ aquas dudum hauserat, quasi officio suo defuncta, aquis hausta est. Adeò & ipsi triremi sua ab hominum pietate incolumitas fuit. Impietas autem tam plumbeū pondus habet, vt ipsas etiam secum naues in exitium trahat. Vidisses vnâ tunc

S. Greg.  
M. lib. 3.  
dial. c. 30.

An

Lucret.  
l. 2.

*Antennas, proram, malos, tonsasq; natantes,*

nisi S. Maximiani virtus atque integritas nauim salubriter sustinuiſſet: ſuſtinuiſſet periculose nauim alteram impura mulier, neque progredi ſuiſſet, niſi cum illa eiecta nauclerus ſentinam exoneraiſſet. Et quia nauicorpus ſimile eſſe dixi, trahit profecto luxuria in exitium naturam omnem, viroſq; effeminat. Hinc Diogenes à Lacedæmonijs, ad Athenienſes reuertens interrogatus: Vnde, aut quò iret? reſpondit: *A viris ad feminas.* Nec ſexu tantum hoc vitio euertitur, ſed etiam deſtruitur. 1. Corpus, quod eneruat, lepra maculat, lue Venerea exhaurit. Multi dum ſunt caſti, ſunt inſtar alicuius Angeli formoſi: quod de S. Stephano in Concilio adducto ſcriptum legimus: *Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderant faciem eius tanquam faciem Angeli.* Et reſulcet profecto ex ipſo vultu pudicitia. Aſt ubi libido inualuit, non tantum fit facies petulans & immodeſta, ſed etiam lurida & cadaueroſa, vt vel natura ſtigmatem notet impudicos. 2. Quòd ſi non omnibus hoc contingit, in facie, tantum tamen eſt peccati huius pondus, vt plurimis etiam vitam auferat.

ferat. Notus est bonus zelus Phinees, qui, Num. 25<sup>7</sup>  
quando, *vnus de filijs Israel intravit, coram fra-*  
*tribus suis, ad scortum Madianitidem, vidente*  
*Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant*  
*ante fores tabernaculi, surrexit de medio multi-*  
*tudinis, & arrepto pugione, ingressus est, post vi-*  
*rum Israelitem in lupanar & perfodit ambos*  
*simul.* Atque vt, vel natura docente, crimi-  
nis istius inhonestas, ad eundem modū, pu-  
nita videatur, teste Valerio & Plutarcho, Al-  
cibiades Atheniensis cum Timandra meretri-  
ce, in actu Venereo, à Lysandro est interfe-  
ctus. Quod & Phaon hominum pulcherri-  
mus suo exitio testatur. Nam à Mytilenæo-  
rum mulieribus perditè amatus, & ardentè  
appetitus, inque adulterio deprehensus, di-  
rissimè quidem, sed iustissimè est iugulatus.  
Quod & Paulus Diaconus narrat de Rodo-  
aldo rege Longobardorum. Innumera sunt  
exempla eorum, qui, in conclauì meretri-  
cis, ab æmulis sunt interfecti. Neque eundū  
est procul, factum est id in Mailingen loco  
vix vnâ horâ Ingolstadio distante: ibi nobi-  
lissimus, ingeniosissimus, matri suæ charissi-  
mus filius, in mensa amasiæ suæ assidens; at-  
que non solū inter pocula, sed etiā prope-  
inter oscula & amplexus ipsos scorti, à riuali  
K ex

ex improviso superueniente est confossus, vixque tantum temporis superuixit, ut per scalas descendens, vulnere manu cohibito, in finem, qui erat ante hospitium, se proiciens, ibi moreretur, vbi spurcissimæ suæ vitæ haberet symbolum ac monumentum. Exstat Epitaphium illius, in Feldkirchensi templo, quod legentes monet, ut si non velint parem vitæ exitum sortiri, disparem instituant viuendi rationem. Pari ferè pacto, narrat Lampridius, mortem vitæ similem habuisse Heliogabalum naturæ portentum, quem ait, *fato à tali monstro pœnas reposcente, in larina occisum esse, dum ventrem exoneraret.* 3. Longè magis grauatur anima, obscuratur intellectus, eneruatur fides, extinguatur gratia lumen; induratur ad bonum voluntas; roboratur ad malum. Tædet orare, templum est nausea; audire de Deo fastidium. Subeunt interea turpiloquia, blasphemix, iuramenta falsa; & vno verbo, templum S. Spiritus fit spelunca diabolorum. O quanta est istorum metamorphosis! apud illos, qui angeli fuerunt, & sponsæ Christi, vertitur amicitia Dei in iram & indignationem; & ex hærede cœli fit mancipium Orci. Amittit enim talis regnum æternum, perdit beatitudinē summam

mam, ad quam creatus est; & fit reus cruciatuum aeternorum. Atque, ut ex difficultate remedij vulneris grauitas aestimetur, quam graue malum esse oportet, cui sanando Filius Dei sanguinem & vitam fundere, per grauissima debuit tormenta? *Ex consideratione remedij*, inquit S. Bernardus, *periculi mei aestimo quantitatem*. Quid putemus? quantum oportet esse peccati pondus? primos parentes nostros depressit, atq; è Paradiso extraxit; ipsum Luciferum & Angelos, è coelo in terram, immo infra terram deiecit. Et, ut videas, vel luxuriae grauitatem: vnus liberi cum libera peccandi libido, immo matrimonium duntaxat, non sine raptu petatum, totam euertit ciuitatem Sichimitarum. Plurium autem caeca voluptas, picem, sulphur, ignem de caelo deuocauit, ut ostenderetur, quanta, post hanc vitam, in Acheronte incendia essent voluptuarijs praeparata. Qui cum delicati sint, & pati nihil asperum possint, tantò acerbius sentient aeternos cruciatus: *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit: tantum date illi tormentum & luctum*. Denique toti mundo tristissimum diluuium est immissum; deleta, praeter septem homines, & paucas animantes, omnis caro. Cur, quia *omnis caro corrupe-*

S. Bern<sup>us</sup>  
serm. 3.  
in Natiua

Gen. 34.

Apoc. 18.  
7.

Gen. 6.12

Macrob. lib. 3. Saturn. *rat viam suam super terram. Et, ut alius ait viros triumphales, victores gentiū luxuria vicit.*  
 Ita gladio, incendio, diluuiō, alijsque modis summus Iudex, libidinem plexit; quæ, ne feruet modum, tot habet modos formæque, ut meritò Erisichthonis Metro mutabilior possit credi, meritoque etiā varijs modis puniatur. Pythagoras dicebat: *in ciuitates primū irrepsisse delicias, mox saturitatem, deinde violentiam, postremò exitium.*

Laërt. l. 7. cap. 1.  
 Silius lib. 15.

*Aspice latè*

*Florentes quondam luxus, quas vertere  
 vrbes.*

*Quippe nec ira Deū tantum, nec tela  
 nec hostes,*

*Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.*

Valerius Max. l. 9. cap. 1.

Testatur id Campana luxuria, quæ inuictum armis Annibalem illecebris suis complexa vincendum Romano militi tradidit. Illa ducem vigilantissimum, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris usu lasciuiore, ad somnum & delicias euocauit. Quid his ergo vitijs fadius? quid etiā damnosius? quibus virtus atteritur, victoria languent, sopita gloria in infamiam conuertitur, animi & corporis vires expugnantur: adeò ut  
 nesciam

nescias, an ab hostibus, an ab illis capi perniciosius habendam sit.

Ex his tam varijs grauibufque poenis ira Dei cognoscitur. Sed & illud docetur, omnes, qui praesunt, perpensa scelerum gravitate ac fæditate, à natura, à Deo, ab hominū zelosorum exemplis moneri, vt tam abominanda crimina non sinant impunita. Putent parentes domi, putent magistri in scholis, putent Confessarij in suo tribunali, putent Magistratus in curijs, putent Principes in aulis, è cælo ad se clamari, quod ad nauarchum, cum serio, ac iterato dictum est mandato: *Mitte foras Mariam, & bene nauigabis.* Accidunt infortunia, oriuntur tempestates Rerum publicarū bellis omnia vastantur, vbiq; luctus, vbiq; dolor, vbiq; mors aut mortis imago, vbiq; scopuli & pacis ac tranquillitatis impedimentū: *Mitte foras Mariam, & bene nauigabis.* Res iam nobis prope redijt non tantum ad triarios, sed etiam ad vltimam penè lineam. *Dixi tibi, mitte foras Mariam, & salui eritis.* Emenda, castiga, extirpa impietatem. Non patereris, in vrbe, si scires adesse proditorem. Id, quod Sichemitas, quod Sodomitas, quod totum, diluuij tempore, prodidit mundum, etiam alias plerasque prodie

K 3

ciuita-

XI.

LIBIDI-  
NEM NI-  
MIS INVA-  
LESCEN-  
TEM, DEI  
EXEMPLO  
PVNIEN-  
DAM.

ciuitates. *Omnis caro corrumpit viam suam.* Hoc scriptura affirmat. Hoc sermo testatur quotidianus. Hoc experientia probat. Possem adducere & ipsos reos ac reas, qui audent dicere, quod ego, non possum credere, & temerarium esse aio, suspicari, iniquum iudicare, debeoq; meritò refutare priùs, quàm ad rem ipsam propiùs venio. Quid ergo dicunt? ita passim libidinem inualuisse, vt ne vna quidè virgo, reperiatur in tota ciuitate. Quod imprimis superat ipsam Lutheri maledicentiam, qui in aliqua ciuitate, vix quinque virgines dixit reperiri. Hi aiunt, nullam. 2. Magnà tot innocentibus irrogant injuriam, magnà illorum parentibus, qui filias suas aliter custodiunt. 3. Qui hoc dicunt, ipsi sunt infames, infames autem, non possunt esse testes. 4. Quia solamen est miseris, non solùm peccatarum, sed & culparum habere socios: purant enim, se numero defendi, atque excusari, si plures sint inhonesti. 5. Deniq; in hos ipsos infamatores calumnia sua redundat. Ideo enim virgines non inueniunt, quia virgines non quærunt, sed meretrices; aut quia ipsi faciunt, vt virgines non possint inueniri. Quasi tutæ esse volunt, coguntur aliò commigrare, aut & in monasteria se abdere. *Quam*

quam ita infruniti sunt quidam, ut etiam prosequantur & persequantur abeuntes. Lucullum clarissimum Imperatorem aiunt, amatorio poculo periisse: hi poculo tali non indigent; pereunt sine veneno volentes, & perniciem suam non fugiunt, sed fugientem quaerunt.

Plin. l. 23  
c. 3.

Ceterum non est necesse, omnes esse tales, satis est magna nihilominus talium multitudo. 1. Sunt, qui solo visu perdunt castitatem. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Expertus est hoc David, iam oculis mœchatus antè, quàm Bethsabeam ad se vocaret. Experiuntur, qui, quotquot feminas aspiciunt, concupiscunt. 2. Quidam solo auditu rei turpis delectati castitatem perdunt. 3. Bibunt quidam, & ea sumunt, quibus in libidinem incitantur, atque hoc fine alijs anteponunt, jubentque sumere, ut fiant ad peccandum potentes. 4. Inuenti sunt ad hunc effectum & odores, & hoc fine odorifera gestantur, ut alliciant. 5. De tactu erubesco dicere. nam sunt, qui omnibus ianuis voluptatem admittunt. 6. Nec opus est ad iumento membrorum; solo animo, vna cogitatione, vna imaginationis delectatione plu-

XII.

IMPRO-  
RVM FOED-  
DITAS ET  
MULTITV-  
DO.  
Matth. 52  
28.

rimi cælum vendunt, infernū emunt. Et possunt, tali cogitatione omnia huius generis peccata comprehendere. 7. Peccatur ratione temporis, loci, modi, obiecti. Quidam dum tota hebdomade laborant, die festo, quem sanctificare deberent, amoribus vacant. Quin eo ipso tempore, quo alij in templis Deum colunt. Tunc absunt, & in templo Deo seruiunt herus & hera, pater & mater, regnat ergo domi filia, vel ancilla. Meminerunt multi adhuc eius puellæ, quæ ante non multos annos, hîc capitis supplicium tulit, quia ipso die S. Parasceues, & illâ horâ, qua alij se flagellis castigabant, & expiabant cruentis ictibus, quod peccauerant; alij autem spectatū & oratū prodierant, amasium suum citauit, & virginitatē suam prodegit. Indignum est, tempus diuinis cultibus attributū negligere, & ad ipsam transferre obscænitatē. 8. Quem admodum etiam indignum est, locum Deo consecratum libidinibus suis profanare. Mitissimus alioqui Christus, è templo tamen eicit ementes & vendentes. Quid faciet, si videat illuc homines ire, vt oculis & nutibus fornicentur, & adulterent? Stare in extremis scamnis, vt proximā habeant è regione allu- bescentem? Quo pacto illos puniet, qui in  
ipsis

**Ioan. 2. 15.**

ipsis officijs diuinis, sæpius de voluptate carnis, quàm honore Numinis cogitant? qui alia agunt, quæ ne nominare quidē fas est? Nonne hæ sunt abominationes, quas præuidet Daniel Propheta? nuncquid hoc est Adonidem adorare? & Cupidinem pro Deo habere? 9. Supra dicta Maria non legitur fornicata; sed nimio coniugij appetitu filios necans, ingenti miraculo fluctibus est hausta. Quid dicam, ô Deus? *omnis caro corruptit viam suam.* Ante hac iuuenes & viri sequebantur feminas, & puellas; iam ipsæ puellæ & fæminæ viros sequuntur, mittunt ad illos, vocant, inuitant. Si non parent, vltro ipsæ veniunt, & eos cubiculatim inuisunt, cum illis bibunt, ludunt, fitque, quod Propheta detestatur, vt meretrices desinant esse meretrices, nec enim mercedem accipiunt, sed soluunt. Et quod irâ Dei dignissimum est, à proprijs parentibus ad omnes epulas, choreas, & nocturnos conuentus ducuntur. Patre inebriato, filia est in potestate ebriosorū. Quin, vt se excusatas putent, aiunt nonnullæ matres, se ali à filiabus dona domum reportantibus, pro quibus honestatem foris reliquerunt. Execranda fuit illa Maria, ob filios à se occisos: an non erunt & istæ execranda?

Dan. 9.  
27.

Matth.  
24. 15.

Gen. 6. 12.

crandæ? Inuitus dico, sed rei iniquitas mihi exprimit veritatem: Tot passim in vrbe aliqua committuntur scortationes, & tam pauca sunt, quæ partu prodant suam impuritatem. Vnde hoc? quia artes nôrunt, quia vel occidunt vix natos, & sine baptismo perdunt; vel faciunt, ne nascantur. Non essem tam audax in dicendo, nisi audirem, artificia hæc in laudem trahi, & fieri illicium fornicandi. Milites jam aliquo tempore à caco-dæmone opem accipientes, schedas, aut pilulas deuorant, quibus fiunt inuulnerabiles, & vt vocant velut glacie astricti ac *indurati*. Hinc audaciores, & arte sua fidentes, quosuis in duellum prouocant. Diabolus hanc artem à viris in fæminas propagauit. Nam ecce, quò deueniat nostra ætas: puellæ sunt, quæ, hoc ipso nomine, audent iuuenes prouocare, quod dicant se esse *induratas*. Quid est hoc dicere? nisi quòd nôrint partum impedire aut perdere? & immunes sint à concipiendo? Hanc artem iactant, hanc sibi mutuò tradunt, hac ad fornicandum, sine vilo prolis metu eas alioqui retracturo, animant, & animantur. Quid est hoc aliud quàm occidere prolem? immo plus est; quia id agunt, vt proles vitam nunquam accipiat, natura reclamante,

clamante, diabolo triumphante? Nam sicut milites, non nisi tacito, vel expresso cacodæmonis pacto fiunt *solidi* atque *indurati*, ita credibile est, & has Alastorem habere adiutorē. Quid ergo amplius ab illis expectemus, nisi vt veneficæ fiant, aut iam esse putentur? Tales artes ad magicas artes vel ducunt, vel ab illis proficiscuntur. Videat ergo, qui tale commercium habet, cuius sit riualis, & cum quo vices mutet. Habes itaque tempus, locum, modum, quin & obiectum omnia criminose incestata. Nihil enim purum est, vbi est impurus homo. Ab hoc autem & matrimonia violantur. Quid tu de illis putas, qui adolescenti dant potestatem, quoties libet, cum sua vxore bibendi, ludendi? eique, vt lubet, & quàm diu lubet noctes & dies assidendi? quid de eo; qui ipsi vxori licentiam dat abnoctandi, & vicissim licentiam accipit, ancillam aliamue illius loco substituendi? Quid de illis, qui obseruant militem ad vigilias euntem, vt, eo absente ipse possit esse paterfamilias in domo illius? Quid de eo, qui nullum facit inter solutam & liberam, inter cognatam & alienam, inter sacram & profanam feminam; immo inter hominem & bestiam; deniq; inter vxorem & dæmonem discrimen?

scrimen? An non hæc Sodoma est? an non irâ Dei, an non sulphure & igne piceo digna grauitas iniquitatis? Quid mirum si nauis Petri mergi incipiat? Si ciuitas, si regnum pereat, in quo tantam æternus iudex inuenit flagitiorum omnium fœditatem? Lâodice, Syriæ regina Antiochum *Deum* cognomento, maritum suum veneno extinxit, ob super-inductam sibi Ptolomæi sororem Berenicem: cur Deus non extinguat homines, ob super-inducta tot Mundo flagitia, qui dicitur, est-  
 que iustissimus *Zelotes? Dominus Zelotes nomen eius, Deus est amulator. Hæc dicentibus erubescenda essent, ait Hugo, si à facientibus præsumpta non fuissent: nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam.*

Exod. 34.  
 14. Hug.  
 de instit.  
 nouit.

XIII.  
 LVXYRIÆ  
 REMEDIA.

Isa, 55, 6.

Quid ergo talibus restat? perire, vel penitentiam agere, & agere, dum tempus. Confessa est & Maria, sed Nauclero, non Sacerdoti, & serò nimis, nec eo, quo debuit sine ac modo. Si qui aliquo prædictorum scelerum genere se reosprehendunt, confiteantur sacerdoti; quærant *Dominum, dum inueniri potest.* Si multi sunt innocentes, orent, ut nocentes conuertantur. Denique quisquis conuerti vult, ab illecebris suis se auertat.

Nemo

Nemo ire potest in Orientem, nisi recedat ab Occidente. Apostoli sapiens monitio est: *Fugite fornicationem*. Iracundia leones adiuuat, pauor ceruos, accipitrem impetus, columbã fuga. Ita alia vitia cadunt, dum eis resistitur, libido fugã superatur. Et quis non fugeret, sicut à facie colubri? imò vt à longè maiore malo. Quia, teste Boëtio, *meretrix nonaria est inferni ianua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscarium scelerum, puteus interitus*. Potest quidem & hæc vinci resistendo; non rarò tamen etiam incautè resistendo quis contaminatur; quemadmodũ enim qui luctatur cum aduersario, immundam lutoque plenam habente vestem, etsi eum deiciat, tamen ipso eius amplexu contactuque maculatur; ita qui cum vitio hoc pugnat congregiando, quia immundissimum est, facillimè ipsa disputatione, qua repugnat, inquinatur. Quia, vel Ethnico teste, *blandum est malum luxuria, quàm accusare aliquando facilius est, quàm vitare*. Tutius est igitur cogitationem eiusce modi cum detestatione abijcere, quàm retinendo velle examinare, & cum ea litigare. Nemo scintillam, si in vestem incidit, multoque minùs, si in manum, solet non quàm primum excutere. Cur ignem Cypridis non illi-

1. Cor. 6.  
18.

Boëtius  
de scho-  
lastica di-  
sciplina.

Valerius  
Maxim.  
lib. 9. c. 1.

co extinguis, ô juvenis, quando cogitationem tuam incipit calefacere? mox vret, de scintilla in flammam, de flamma in incendium productus. *Diaboli primis titillationibus obviandum est*, inquit S. Cyprianus, *nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur.* Et S. Hieronymus, *Diabolus, ait, serpens lubricus est, cuius capiti, hoc est, primæ suggestioni si non resistatur, non est dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur.* Itemque alibi: *Nolo spinas cogitationes libidinis crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice; nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine.* Audi Psalmistam dicentem. *Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus qui tenebit, & allidet paruos tuos ad petram. Quia enim impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille predicatur beatus, qui ut coeperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Christus est. Ad hanc Petram cogitatus suos allidit, qui se ad spinas, ad flagra, ad clauos, ad crucem, ad vulnera, ad sanguinem Christi cogitandum conuertit. Si oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, neque alij illuc intrabunt, nisi qui car-*

S. Cyprian. serm. de ieiunio.

S. Hieronym. in c. 9. Eccles.

S. Hieronym. in ep. ad Eustochium. Psal. 136. s.

Luc. 24. 22.

Gal. 5. 24.

nem suam cum concupiscentijs crucifixerunt.  
 Stultus censetur, qui aurea æreis commutat:  
 insanus est, qui voluptatem momentaneam  
 sectatur, æterna gaudia perditurus. Nam &  
 Demosthenes, cum Lais mille denarijs pacisci  
 vellet, dixit: *Non emo pœnitere tanti*: sed quia  
*stultorum infinitus est numerus*, idcirco plures  
 à cruce Christi ad voluptates, quàm à volu-  
 ptatibus ad crucem Christi conuertuntur.  
 Quamobrem etiam Arcesilaus Scythia per-  
 contanti, quæ fieret, ut ab alijs sectis multi desi-  
 cerent ad Epicureos, ab Epicureis nulli desiscer-  
 ent ad alios? Quoniam, inquebat, ex viris  
 Galli sunt, ex Gallis viri nequaquam. Sentiens,  
 homines esse proniores ad voluptatem, quàm  
 ad virtutem, per Gallos enim intellexit sa-  
 cerdotes Cybeles, euiratos. Paruum autem  
 est inter euiratos & effeminatos discrimen:  
 immo detestabilius est animo, quàm corpo-  
 re emasculari. Quod qui non vult sibi fieri,  
 feminas vitet, & cum feminis *mulierum exi-*  
*ria*, ut in proverbio est, vitabit, quæ omnium  
 ferè calamitatum authores viris fuisse dicun-  
 tur. Testis est Pandora Hesiodia; testis He-  
 lena & bellum Troianum; testis Medea; te-  
 stis Ariadna; testis Hercules, à Deianira ex-  
 tinctus; testis Danaidum fabula; testis Lem-  
 niarum

Laërt. de  
 vit &  
 morib.  
 Phil. Ec-  
 cle. 7 13.  
 Idem  
 Laërt. lib.  
 4 cap. 6.

niarum mulierum historia; testis Cleopatra;  
 testis Dina; testis Bethisabea; testes omnes il-  
 læ feminæ, quæ cor sapientissimi Salomonis  
 deprauarunt; testis Dalila quæ Samsonem  
 fortissimum ligauit; testis ipsa omnium ma-  
 ter Eua. Quanquam hæc ipsa etiam conue-  
 nit stultitiæ virorum ascribere, qui mulier-  
 culis tantum indulserunt, vt velut amentes  
 amore in quoduis malum sequerentur, cum  
 par fuerit, vt illis moderantibus mulier na-  
 tura stultior simul & imbecillior minus desi-  
 peret. Quod enim animus est corpori, id vi-  
 rum mulieri oportet esse: qui si muliero-  
 sus est, improbus est, quia *occafio-  
 ne duntaxat opus est impro-  
 bitati.*



CAPVT